




le ne fay rien
sans
Gayeté


(Montaigne, Des livres)


Ex Libris
José Mindlin




















Articuli Pacis Et Confoederationis inter Serenissi- mum Lusitaniae Regem ab una, & Celsos ac Præpotentes Fœderati Belgii Ordines ab altera parte conclusæ.



H A G A E - C O M I T I S,
Typis Hillebrandi à Wouw, Celsorum & Præpotentum Domi-
norum Ordinum Generalium Ordinarius Typographus.
Anno 1663. Cum Privilegio.

Articuli Pacis

Et Confoederationis inter Serenissimum Lusitaniae Regem ab una, & Celsos ac Præpotentes Fœderati Belgii Ordines ab altera parte conclusæ.

I.

R E X & Regnum Lusi-

taniæ spondent fidemque suam nexu
comprimis solido ac firmo astringant, se
quadragies centena Crusatorum millia
Ordinibus Fœderati Belgii persoluturos
esse, singulis Crusatis duum Florenorum
Carolinorum pretium in Hollandia æ-
quantibus, eamque summam aut parata
pecunia, aut Saccaro, Tabaco, & Sale se suppedituros; sic ut hæ
merces pluris ne æstimentur, nec majus iis præmium ponatur,
quam illud quo cædem merces illo quo suppeditandæ sunt tem-
pore secundum quotidianum usum per ipsam Lusitaniam ven-
dentur, si quid autem ad plenam summam aut in ipsa pecunia,
aut in una alterave, ex jam dictis mercibus fortasse desiderabitur,
id ut alia earundem specie suppleatur, integrum esto, hujus ta-
men rei electio erit penes præfatum Regem, ut in qualicunque
specie suppleat alterius defectum, aut etiam ex illo vectigali
quod authoritate & ratione hujus pacti conventi a Fœderati Bel-
gii incolis per Lusitanam ditionem negotiantibus, in usum jam
dicti Regis legitime posset exigiri, quodque mercibus eorum tam

A 2

ad-

adferendis in dictam ditionem, quam inde efferendis, imponi ex
lege sequentium paragraphorum sive articulorum jus ac fas es-
set; in quem finem a Fœderati Belgii Ordinibus unus pluresve
constituentur, qui in Lusitania ipsorum nomine dictum vectigal
percipient, eadem forma ac methodo quibus ejusmodi vectigalia
a Ministris Lusitanis ibidem exigunt consueverunt, dicta vero sum-
ma per sexdecim partes æqualiter distribuendas, certo statuque
quotannis tempore Vlissiponæ pendatur, sic ut prima summæ
hujus pars prestanta mox sit, ubi primum in Lusitania consta-
bit, certisque documentis demonstrabitur, fœderi huic utrim-
que subscriptum esse, idque ratum ab ambabus partibus haberi
ac promulgatum esse. Rex præterea Lusitanæ restituat vel resti-
tui curet, omnia tormenta quæ in Reciffâ aliisque Brasiliæ muni-
mentis, cum ea a Lusitanis occuparentur, reperta fuerunt, quæ
que insignibus Fœderatorum Ordinum Societatisve Americanæ
notata etiamnum deprehenduntur.

I I.

Quandoquidem vero a parte dictorum Fœderati Belgii Ordini-
num allatæ sunt in medium quærelæ, occasione introductæ cu-
jusdam consuetudinis, nempe partitionis in venditione salis,
quod in Oppido Cetobriga (setuval a Lusitanis, a Belgis S. Uves
appellatum) ac per conterminum eidem Oppido tractum fieri
solet ac confici, convenit ac consensum est, uti singulis annis, in-
ter præfatum Regem & prædictos Fœderati Belgii Ordines
pactum peculiare ineatur de pretio, quo omnibus & singulis Fœ-
derati Belgii incolis integrum erit tantundem prædicti Salis,
quantum ipsis libuerit, ibidem coemere, in quâ quidem trans-
actione justa utrumque habebitur ratio pretii, quo sub id tempus
dictum sal per Lusitaniam inter Lusitanos ipsos vendetur, eme-
tur ac distrahetur. At si nihilominus præter spem ac expectatio-
nem super ejusdem Salis pretio utrumque parum convenerit,
tum Fœderatorum Belgarum respectu salarii illa Commercii
partitio cesset ac amoveatur, quæ ab annis jam aliquot introducta
est;

est; Liberumque ac integrum unicuique Fœderatorum Belgarum relinquatur a quibuslibet mercari ac sibi comparare eam salis quantitatem, de qua cum venditoribus convenire poterit, quemadmodum paragrapho sive Articulo septimo copiosius de omni mercimoniorum genere est conventum. Sed nec ipsis salis possessoribus ullo modo adimatur, aut restringatur facultas vendendi pro libitu omnibus & singulis quibus eis libuerit respectu vero aliarum nationum prædictus Lusitanæ Rex hac in parte sese geret, prout ipsi placuerit.

III.

Fœderatorum Belgarum populus secure ac tuto negotietur commerciumque exerceat, tam ex Lusitania & terris ac tractibus eidem Lusitanæ subditis in Brasiliam, quam ex Brasilia in eandem vicissim Lusitaniam & terras tractusque eidem subiectos ac omne præterea Mercium genus ultro citroque transferre, ne sit damno aut noxæ, excepto duntaxat Brasilicensi Ligno, penso tamen ante ac persoluto vectigali eo portorioque, quod a Lusitanis ipsis in illas Regiones negotiantibus persolvi jus est. Cœterum Belgæ Fœderati ex Brasiliæ portibus in portus quoscunque alios eidem Lusitanæ subditos ubi appellant, naves suas exonerare, aut merces inde ulla eximere, in terramve exponere neutquam cogantur; Sed præfecti teloniis, & portiorum exactores ut merx in ipsis Navibus inspiciatur ac ponderetur, utque ita debitum pro merce vectigal ac portorium pendatur, curent; quod si vero rerum experimentis comperiatur, id vel nullatenus, vel minus commode expediri posse, alia in eundem finem media excogitentur, ac mutuo pactis utriusque consensu ad effectum perducantur; Fœderatorum autem Belgarum populo omnino fas ac jus esto hac in parte iisdem mediis ac commodis uti frui, quibus Angli aut vi pacti, aut exquotidiane usu gaudent, vel in posterum gavisuri sunt; Quin nec gravius vectigal, nec plus numinorum impensæve pro dicta merce exigatur, aut persolvaratur, quam si exoneratae omnino Naves ac Merx in terra exposita fuisset;

fuisset; moræ etiam nihil in expediendis hisce navibus dimittendisve a parte Lusitana necatur. Cum vero in alias Regiones portusve Lusitanæ aut eidem subditos post pensum jam semel vectigal debitum Naves dictæ appellant quod reliquum erit itineris impedimento molestiaque omni procul habitis, nullisque de novo vectigalibus persolutis, libere conficiant absolvant. Merces preterea ac res cæteræ aut a Lusitanis ipsis, aut ab alia quacunque gente Navibus Fœderatorum Belgarum creditæ ac commissæ, quæ in Regiones portusve alios eidem Lusitanæ subditos transferentur, nihilo plus vectigalis pendant, quam si commissæ Lusitanis Navibus & transferendæ translatæve essent.

III.

Liberum quoque Fœderatis Belgis esto, navigationem, atque iter moliri in Colonias omnes, Insulas, Regiones, Terrarum tractus, portus, Civitates, Pagos, Emporia, quotquot dicto Regno parent ac subsunt perditionem Africanam, cui accensetur Sancti Thomæ Insula, inibique morari, negotiari, ac mercaturam exercere, res, sarcinas, merces, omne genus terra marique & Fluviis subvehere, venum ubivis exponere, efferre etiam inde atque in alias Regiones exportare integrum sit ac concedatur, idque pari libertate, qua Angli aut alia quælibet Gens vel nunc gaudent, vel ante hac gavisi sunt, vel in posterum eos gaudere aut gavisos esse comperietur; Propriasque ibidem Ædes in quibus habitent habere & possidere, nec non repositoria, in quibus bona, mercesque suas recondant, absque ulla a quopiam molestia. Nihil vero corum, quæ paragrapho seu Articulo hoc & proxime præcedenti pacta & stipulata sunt, irritum unquam fiat, cludaturve nec Fœderati Belgæ pactis conventis hisce ulla ex parte fraudentur: Quod si dictus Belgarum populus usu nihilominus Libro ac solido pacti hujus conventi aliquando prohibeat, excludaturve, aut alia ex parte impediatur, quod avertat Deus, ne plenos debitosque ex fide & autoritate hujus fœderiis percipiat fructus, tum Fœderati Belgii Ordinibus idem in Lusitanos jus esto, actioque

de

de novo eadem resurgat & renascatur , quæ ante hoc fœdus initum iis competebat ; jusque suum ut adversus Regnum Lusitanum persequantur , fas esto ; sed & hoc ipso ea omnia ad dictos Ordines devoluta censemantur , eorumque repetendarum causa Rex & Regnum cadant , quæcunque ex lege primi in his conventis paragraphi seu Articuli persoluta ac depensa jam fuerunt . Eodemque pacto si per prædictos Fœderati Belgii Ordines fœdus hoc violetur aut infringatur , præfato Lusitaniæ Regi idem jus esto quod illi ante hoc pactum ullo modo competebat .

V.

Atque ita solutione quadragies centenorum Crusatorum milium facienda terminis supra expressis atque libro usu veraque perceptione eorum omnium , quæ Articulis tribus hunc præcedentibus continentur , intermittentur ac cessent controversiæ , lis & actiones omnes , quæ Regi Regnoque Lusitania a Fœderatis Belgis intentæ hactenus ac motæ sunt , intendique possent , ac moveri ; nec minus intermittentur cessentque actiones , lis & controversiæ , si quæ Fœderatis Belgis a Rege Regnoque jam dictis vicissim intendi & moveri possint .

VI.

Cui consequenter cessent inter Regem & Regnum Lusitaniæ ab una , & Fœderatum Belgium ab altera parte , ac utriusque subditos & incolas omnis actus hostilitatis & injuriarum , idque in Europa post clapsum bimestre spaciū ab eo die , quo huic fœderi utrumque subscriptum erit , in cæteris vero mundi partibus a publicatione harum tabularum omnesque captivi hinc inde illico post ratihabitionem hujus Tractatus pristinæ libertati restituantur ; omnes itaque ditiones , omniaque loca , Naves bonaque , quæ temporis inter ea ab alterutro occupabuntur , ut & quæ antea occupata fuerunt in India Orientali , occidentali vel alicubi locorum , in dominio permanebunt eorum , qui præfatis temporibus eorum possessores fuisse comperientur ; ea vero , quæ clapsis duabus post factam eandem subscriptionem mensibus in Europa &

post

post publicationem in cæteris mundi partibus occupabuntur aut capientur, prioribus corundem Dominis absque ulla mora aut exceptione restituentur. Regi proinde Regnoque Lusitanæ solida ac firma pax cum Fœderati Belgii Ordinibus inceatur, quæ Cives utrimque omnes & subditos comprehendat, quæque ubi-vis locorum, nullis exceptis, tam intra quam extra Europæ Limites sancte ac religiose observetur, Lusitani quoque & Fœderatorum Belgarum populis terra marique mutuis inter se Officiis ac mutua benevolentia utrimque certent, nihilque prorsus moliantur aut effectum dare consentur, quod cum incommmodo aut detimento partis alterutrius ullo modo videri possit conjunctum, quare nec subditis aut incolis partis alterutrius permisum erit sub authoritate vel diplomate alias cuiusvis Principis vel status, alterius subditos vel incolas, navesvc aut merces eorum aggredi, vel alio quovis modo, sub qualicunque nomine vel prætextu piraticam contra eos exercere, idque sub pœna exilii & publicationis bonorum.

VII.

Fœderatis porro Belgis integrum post hac esto, in Regnis, Provinciis, Insulis, Oppidis, Portubus, ac locis quibuscumque, quæ Regi Lusitanæ parent commercium omni cum libertate exercere nihil moræ iis objiciatur aut directe aut oblique, nihil eos impedit, quo minus merces a quibuslibet eas emant ac comparant, quas è re potissimum sua fore judicabunt, sive majori copia sive minori comparatas, nullisque mensuræ, ponderum temporis loci, propolarum monopoliarumvè, aut pretii legibus astrin-gantur: Nec minus iisdem Fœderatis Belgis integrum relinquatur res pro libitu quascunque ac merces eodem transferre, vendere ibidem has ipsas ac permutare, res præterea ac Merces inde offerre, idque amoto omni obstaculo persolutis solummodo vectigalibus iis, quæ ex authoritate publica per Regnum Lusitanum anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio mense Martio pensa ac persoluta sunt aut solvi debuere, adeo ut Fœderati

derati Belgæ eodem prorsus loco sint habendi quo Lusitani ipsi
habentur, idque tam emptionis Venditionisque nomine, quam
vectigalium aliorumve aut onerum aut commodorum, immu-
nitatum ac privilegiorum respectu, utque Fœderati Belgæ impo-
sterum fruituri sint prærogativis, immunitatibus ac Privilegiis
omnibus quotquot hactenus ulli genti, Regno Lusitano fœdere
aut amicitia sociatæ concessa sunt, vel post hac concedentur;
Lusitani vicissim commerciorum ac Mercaturæ respectu, eodem
per fœderatum Belgium loco habeantur, quo Belgas ipsos & in-
digenas habeti juris illic est ac moris.

VIII.

Belgæ Fœderati qui cum Navibus ac Merce in portus Lusita-
næ ditionis appellant, nullo mercimonii genere Naves suas one-
rare cogantur, nisi quod elegerint ipsi, quotque utile sibi ac con-
sultum præ cæteris fore sint arbitrati; Sed nec in Navem Fœde-
ratorum Belgarum unamquamque custodes excubitoresve plu-
res duobus, qui Regis Regnique nomine Merces observent, ad-
mittantur, nihilque omnino obstaculi aut impedimenti Navibus
onerandis exonerandisve adferatur. Atque illæ, sive merce arida
& sicca onustæ, nisi decimo postquam appulerint die, sive pisces
aliudve quodvis cibariorum ac esculentæ mercis subvenientes
genus, nisi die post intratum portum decimo quarto exoneratæ
sint, Nihilominus dictis custodibus, excubitoribusve salarii aut
Mercedis loco haud quicquam persolvatur, aut eorum in gratiam
erogetur, præter id quod decem aut quatuordecim dierum jam
dictorum usus ac lex præscribunt.

IX.

Consules, qui Fœderatis Belgis per ditionem Lusitanam Ne-
gotiantibus habitantibusve præsidio dabuntur, a Fœderati Belgii
Ordinibus creandi sint ac constituantur; constituti tantundem
habeant authoritatis utcumque Romanam Religionem non
profitentes, quantum ulli per Lusitanam ditionem Consuli ea-
rum gentium quæ illic Negotiantur, hactenus delatum est vel

B

im-

impostorum deferetur, causis præterea Litibusque, quæ Fœderatos Belgas spectabunt, judicandis judex conservator constituantur, a quo provocare non liceat, nisi ad relationis Senatum, qui quarto ad summum post provocationem mense causis litibusque ad se delatis, finem imponat.

X.

Si quis Fœderatus Belga per ditionem Regis Lusitaniae è vivis excesserit, chartæ, libri, rationes, bona ac facultates tam ipsius defuncti quam aliorum ejusdem Fœderatæ Nationis, quæ penes defunctum erunt depositæ a pupillorum absentiumve judicibus aut corum Ministris inspici & occupari nefas esto; neque horum jurisdictioni res jam dictæ sunt obnoxiae, sed iis consignantur, quibus eas defunctus ipsum ante excessum consignari jussit; aut is si rebus suis ante obitum minus cavit prospexitve, tum chartæ illæ, libri, rationes, bona ac facultates ex mandato judicis conservatoris custodiendæ committantur duobus pluribusve Belgis Mercatoribus institutoribusve, in quos potissima popularij suorum illic loci degentium suffragia accedente consulis Belgæ assensu, hanc curam devolvent; ita tamen ut ne curæ suæ commissas res dicti Mercatores institoresve servandas in se recipiant, nisi data prius cautione per fidejussiones idoneos & ab eodem consule omnino approbandos, admittendos, de rebus sibi creditis ad Legitimos sive Dominos sive Hæredes, sive etiam Creditores suâ operâ perventuris. Omnia itaque bona facultatesque quæ in dominio defuncti fuerunt, Hæredibus ejus executoribus vel creditoribus tradentur.

X I.

Nec Regi Lusitaniae ipsi, nec ministrorum Regionum cuiquam fas licitumve sit, mercatoribus Naucleris sociis Belgarum Navibus, aut eorum Navibus, Merci, facultatibus, manum injicere, ullamve molestiam exhibere, ne quidem sub gerendi cum Hoste Belli, aut cujusvis expeditionis parandæ pretextu; nisi a Fœderati Belgii Ordinibus, quorum illi imperio subsunt, naviumque

Mercis

Mercis ac facultatum possessoribus eam jam ante in rem fuerit consensum; sed dicti mercatores & naucleri, cum Navibus ac Merce, sine ullo incommodo per Regem ministrosve Regios oblati, ex portibus Lusitanis quibuscumque pro libitu arbitrio que suo solvant ac discedant; Fœderatorum porro Belgarum populus a merce, facultatibusve suis vendendis aut distrahendis nullo modo prohibeatur, avocetur interpelleturve, ne quidem si Rex ipse aut Ministri Regii iis sibi rebus opus esse obtendant, nec ullam omnino ob causam dictarum mercium & facultatum venditio protrahatur differaturve, nec averti dictas merces in Regis publicosve aut privatos quoscumque usus liceat, nisi illi quorum res agetur, & ad quos dictæ merces facultatesve pertinebunt annuant ac præcedente conventione assensum isti rei præbeant.

XII.

Liberum præterea Belgarum Fœderatorum populo, ac permisum sit præter mercis omne genus, arma etiam, res Bellicas, & annonam tam ex Fœderatarum Belgii Provinciarum, quam ex aliis quibusvis portibus ac terris in quascunque Orbis Regiones, & ad quascunque gentes transferre tam inimicas Regi Regnoque Lusitanæ, quam amicas ac fœderatas, nec dicto Regi ejusve subditis aut Ministris huic rei moram aut impedimentum afferre liceat per detentions, repressalias, pignorationes ullove alio modo sive id directe aperteque sive oblique ac occulte fiat dummodo dictus Fœderatorum Belgarum populus ex ipsis portibus Lusitanis armorum nihil apparatus aut rerum Bellicarum ad dicti Regis Regnique hostes & adversarios transvectet: nec minus iisdem Fœderatis Belgis integrum relinquatur ac permittatur, in universam ditionem dicti Regis quascunque Merces, res etiam ad armaturam bellum ac Militarem annonam pertinentes inferre, easque non minus magna quam exigua copia Venales exponere, & sive integras simul, sive scorsum & per partes pretiosibidem quocunque vendere, ac pro arbitrio suo permutare, com-

merciaque quævis exercere cum iis emptoribus Negotiatoribus-
ve, quos ipsi fore sibi potissimum utiles ac commodos arbitra-
buntur, nec interpellari aut a proposito eos dimoveri per Regem
Regiosque Ministros, propolas monopoliorum exercitores, fis-
cum, juridicos confessus, quemvis alium ullo modo ullave de
causa fas esto: nullo denique mercimoniorum limite aut regula
circumscribantur.

XIII.

Res ac merces, quæ ex uno Lusitanæ portu in alium eidem
Regno subjectum transferentur, persoluto ante debito vectigali
& portorio, nulla ulteriore pecuniæ aut teloniorum exactione
teneantur, præter eam, qua ipsas Mercatorum Lusitanorum, res
ac merces tali casu teneri liquebit, constabit.

XIV.

Nulli Alcaido, quem Lusitani vocant, nullique alii Ministro
Regio licitum aut permisum esto, ex Fœderatis Belgis quem-
quam, cujuscunque is conditionis sit aut sortis, interpellare, no-
lentem detinere, carceri vinculive mancipare, præterquam in
causa criminali & in flagranti delicto deprehensum, nisi facta
prius a judice conservatore eam in rem potestate, quæ scripto
consignata sit, fœderati preterea Belgæ subditione atque impe-
rio Lusitano degentes, tam sui ipsorum quam domicilii, libro-
rum, rationum, Mercis, aliarumque rerum ac bonorum ad ipsos
pertinentium respectu, non minus carceris, vinculorum cuius-
cunque detentionis ac molestiæ immunes sunt ac habentor,
quam aliis quibus ex ceteris Regi Lusitanæ Fœderatis populis
haec tenus habetur, aut imposterum habebitur. Sed nec per litte-
ras salvi conductus aut aliud patrocinii genus subditis suis aut
aliis quibuscunque in ditione Lusitana degentibus a Rege con-
cedendum, Fœderati Belgæ impediuntur prohibentur a debi-
tis exigendis, aut nominibus æri suo obnoxiiis in jus vocandis; at
vero debiti exactiōem & jus suum libere persequantur; neque
fraudi sit creditoribus, si principis patrocinum aut alterius cujus-
cunque

cunque pollentis authoritatem implorarit debitor, amplexusve
sit, ejusque vel eorum litteris & Salvis conductibus sese munie-
rit, quo debitum eludat, creditoremve trahat ac frustretur, quod
ne fiat ab omni patrocinio debitor arceatur, excludatur. Sed
nec bona ulla ad Fœderati Belgii incolas aut subditos pertinen-
tia, quæ illi Lusitanæ nationis institoribus, procuratoribus aut res
suas agentibus commiserint, vel aliorum quorumvis exterorum
in Lusitana ditione degentium curæ ac fidei crediderint, detineri
manumve iis injici licitum aut permisum habeatur, intentante
præsertim litem, aut negotium facessente inquisitione (quam
vocant) exclesiasticâ, sive in Religionis sive alia quacunque in
causa id fiat, sed res ac bona ista omnia, si commendata sint iis,
qui coram judice, & in foro ecclesiastico illâ ex causa forte con-
venientur, aut inquisitionis dictæ nomine accusabontur interpel-
labontur, confessim integra & intacta dimittantur, usibusque
possessoris restituantur, ut primum apparebit ac demonstrabitur
ad Fœderati Belgii incolas subditosve res eas pertinere.

X V.

Cumque prærogativa commerciorum omnis plane futura sit
inutilis ac speratus ex pace fructus omnino intervertendus, si Fœ-
derati Belgii incolæ ac subditi, qui per ditionem Lusitanam ultro
citroque commeabunt, aut insituendæ negotiationis mercium-
ve distrahendarum ergo, illic morabuntur ex occasione Religionis
inter Lusitanos ac se discrepantis ullâ molestiâ, ullove incommo-
do afficiantur, providebit huic rei Rex ac occurret, quo terra ma-
riique mutuum post hac utriusque gentis commercium illibatum
sartumque ac tectum conservetur; curabitque, ne cui ex Fœde-
rati Belgii incolis vel subditis cujuscunque tandem Christianæ
Religionis, fortis ac conditionis sit, negotium hac de causa il-
lum aut molestia exhibeat, neve is ulli præterea curiæ, Tri-
bunali, judici, inquisitioni, sistatur aut ob noxius fiat, nec ab ullo
Regio Ministro, vel alio quocunque hac ex re conveniatur ullove
damno assiciatur, sive ob circumlata fortasse secum Biblia, sacræ-
ve scripturæ aut aliorum librorum usum ac Lectionem, sive
quovis

quovis alio discrepantis & dissentientis Religionis nomine , quin-
imo Fœderati Belgii incolis subditisque subditione Regis Lusi-
taniz morantibus , eorumque familiæ Librum ac concessum esto ,
tam domi suæ , quam in suis Navibus Religioni ei , iisque sacris
quibus sese addictos profitebuntur , pro arbitrio ac libitu , nemine
prorsus interpellante , operari , Locus iis denique opportunus se-
peliendis Mortuis & commodus assignetur , qua libertate impe-
trata ne abutantur , iisdem Fœderati Belgii incolis ac subditis erit
cavendum.

XVI.

Si quandocumque contingat , controversias oriri inter dictos
Regem Regnumque , ac Fœderati Belgii Ordines , unde interrum-
pendi inter utramque gentem commercii periculum incumbat ,
incolæ , cives , indigenæ tam ex hac , quam ex illa parte per utram-
que ditionem de similitatibus ac controversiis enatis publice
præmoneantur ; ac post commonitionem promulgatam biennæ
spatium utrumque concedatur , quo merci , navibus , bonis suis ac
facultatibus tempestive consulant , easque in tutiorem locum
transferant , nullo interea aut impedimentoo iis objecto aut exhi-
bitâ molestiâ , nullo etiam facultatibus eorum ac bonis damno il-
lato ; quod si cum exparte alterutra intra præfinitum biennis
spatii tempus debita ulla illic locorum in quibus negotiatus erat
exigenda restabunt , ea legitimum in modum exigi , jure quoque
ac legibus ad ea repetenda , agi fas esto , nec lis per ambages aut
circuitus a judice trahatur , sed is omni curâ effectum det , ut ante
præscriptum tempus elapsum creditores quod debebitur , conse-
quantur .

XVII.

Si porro pactis hisce ac mutua necessitudine , quæ per hæc
pacta sancitur , durantibus contingat , fœderis hujus partem quan-
tamcumque ab alterutrius gentis subdito aliquo terrarum ullibi
aut locorum violari , aut in pactorum conventorum auctorita-
tem impingi , Societas ac necessitudo inter utramque gentem
hoc sancita fœdere nequaquam eam ob causam , interrumpatur ,
sed

sed vim integrum ac vigorem nihilominus illibatum conservet,
obtineatque poena ac Mulcta illis solum modo irrogata, qui in
leges fœderis deliquisse convincentur; iis vero, quos damno con-
tumeliave affectos esse constabit, omnino satisfiat, erit autem
satisfaciendum intra annum ab instituta actione tempus, si quis
in Europa aut in Gaditano freto, per Americæ etiam Africæve
littus & tractum, aut alibi locorum terra Marive, cis Bonæ Spei
promontorium Fœdus ulla ex parte hoc temeraverit violaveritve,
at vero qui ultra jam dictum promontorium locorum ubicun-
que in pacta hæc peccasse deprehendetur is satisfactione tenebi-
tur ante exactum decimum octavum Mensem ab implorata per
actorem ope judicis; aut si reus violati fœderis in jus vocatus foro
se non stiterit, judiciumque subterfugerit, nec intra præscriptum
tempus satisfecerit, hostis utriusque partis judicetur, bonaque
ejus ac facultates flagitatæ ac debitæ satisfactioni impendenda
publicentur; in potestatem quoque partis alterutrius is ipse si ve-
nerit, poenas, quas atrocitas injuriæ ac delicti magnitudo mereri
videbuntur, persolvat.

XVIII.

Si quam controversiam aut Rixam inspectores mercium vel
Regii ministri mercatoribus institoribus, naucleris Belgis de An-
nonæ, aut cujuscunque Mercis, quæ in ditionem Lusitanam sub-
vehetur, pretio movebunt, lis illa per gentis Lusitanæ arbitros,
partim per illius loci Magistratum, partim per consalem Natio-
nis Belgicæ (idque pari utrimque jure) eligendos, decidatur: sic ut
arbitri illi effectum omnino dent nequid detrimenti, protracta in
longum disceptatione possessor ejus mercis capiat aut patiatur.

XIX.

Licum de cœteris genti utriusque esto, in fœderatæ ditionis
portus quoscunque cum navibus tam Bellicis quam onerariis
appellere, illic etiam morari, ac par cum libertate inde discedere,
sive per procellas ac tempestatem illuc compulsi sint, sive navi-
bus reficiendis vietusque ac commeatus parandi causa in portum

eum

eum se contulerint ; ita tamen ne illuc plures sex navibus Bellicis simul, in portibus vero minoribus, & ubi fortalitia ad sui defensionem extructa non reperiuntur, non plures tribus nisi urgente necessitate se recipiant, neve plus temporis illic insument, quam quod jam dictæ refectioni , aut parando commeatu sit satis ; ne qua forte causa hinc nascatur interrumpendo aliarum gentium non minus eidem ditioni fœderatarum commercio. Quod si forte, major navium bellicarum numerus ad eundem simul portum appellat, eo intrare hisce navibus nequaquam fas esto, haud imperato antea permisso ab iis quorum a nutu ac imperio portus ille pendebit , nisi vi fortasse tempestatis aut alia necessitate invitatos impellente huc Angustiarum constringantur ad evitandum instantis naufragii periculum, quo casu interveniente causam adventus sui præfecto illius portus aut supremo Magistrati confessim judicandam curent, nec moram illic duiturniorem trahant quam quæ a portus illius præfecto aut jam dicto supremo magistratu fuerit concessa, nihilque interea temporis , moliantur aut machinentur, quod illi ditioni ulla ex parte nocitum sit aut in detrimentum cedat.

X X.

Rex Regnumque Lusitaniae ac Fœderati Belgii Ordines , Naves, merces ac bona partis alterutrius si ab hoste à piratis , aut ab alio quovis intercepta ; inque portum aut locum quemcumque utriusvis ditionis subvecta atq; subducta sint , nequaquam ea abalienari patientur ; sed aut ipsis ea possessoribus aut res possessorum agentibus restituant , dummodo illi navibus nondum exoneratis , nec ad huc distractis mercibus , ad scse res eas pertinere sint professi, aut profitendum curent & ante exactum tertium ab interceptis navibus mensem si in Europa casus evenerit, in coeteris autem mundi partibus , ante annum elapsum jus in eas sibi esse certis argumentis ac testimoniis productis doceant , evincant impensas servandis custodiendisque navibus merci, ac bonis coeteris factas refundant ipsi possessores .

Fœde-

X X I.

Fœderati Belgæ per Lusitanam ditionem Negotiantes aut in portus Lusitanos appellentes, nullum omnino vectigal aut portorium pro bonis suis ac Navibus persolvant, nihilque pendant, preter id, quod Regi Cameræque Vlissiponensi, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio persolvi jus fuit; Oneribus si quæ postea introducta sint aut ad hoc introduci possent, nullanus teneantur.

X X II.

Tributum nullum a Fœderatis Belgis in usum aut emolumen-
tum facelli Sancti Georgii per Lusitanos exigatur, nulla obire
munia, nullum Armorum genus aut ipsi induere aut aliis sup-
peditare jubeantur, cogantur.

X X III.

Mercatores ex utraque gente, eorumve institores, Ministri fa-
miliares ac Domestici, naucleri, nautæ & navales socii per ditio-
nem Regis ac Ordinum, perque portus eorum, ac littora tutio &
libere ultró citroque commēent, hæreant ac versentur, Aedes do-
mosque, quas aut ipsi habebant, aut recondendæ promendæque
merci utiles ac necessarias, dominio possidere iis permutatur,
gladiis accingi, arma cujuscunque generis, prout mos gentis fert,
circumferre, quibus se ac rem suam tueantur ne sit fraudi, aut
vetitum habeatur.

X X IIII.

Bona quælibet ac merces, sive ad dictos Regem Ordinesque
spectabunt sive ad utrumvis populum, si navibus alterutri parti
inimicis hostibusque creditæ, ac in iis deprehensæ fuerint, non
minus quam naves ipsæ in prædam cedant, ac fisco occupanti-
um addicantur; Merces vero ac res quæcunque ad partis utrius-
libet Hostem pertinentes, Regis Ordinumque jam dictorum aut
utriuscunque populi navibus impositæ, in eas fisco nil juris esto,
adeoque nec detineantur, nec possessoribus intervertantur.

Denique, cum Belgarum Fœderatorum non nullis, sive a parte societatis Indianorum Occidentalium, sive alio etiam nomine, tam per Brasiliam, quam per Lusitaniam ipsam, cœteramque dicti Regis ditionem bona immobilia, tum debita, quoque non pauca etiamnum restent ac supersint reliqua, fierique etiam possit ut a subditis præfati Lusitaniae Regis in Brasilia habitantibus, vel qui ibidem habitacula sua habuere, par actio supersit instituenda per ditionem & in populum Fœderatorum Belgarum; Convenit utrumque ac consensum est, uti bona immobilia, fundi præsertim, domus, molæ Saccaro parando inservientes possessoribus pristinis restituantur, sed & actiones quæ restant exigen-dæ, uti a debitoribus quam primum expungantur; & quoniam prædictus Regis Lusitaniae Legatus instructum sese mandato sufficienti proffessus est, amicabili compositione finem faciendi actionibus tam realibus quam personalibus, quæ Fœderatorum Belgarum populo ex eo capite competere possent, idcirco ut in casibus prædictis, iis quorum interest absq[ue] ulla ambage & molestia, per æquipollens satisfiat, eadem actiones omnes prædicto Regis Lusitaniae Legato intra bimestre spaciū communicentur, redactæ in scriptis confecto inventario, cum declaracione originis & documentorum quibus illæ actiones probari possint; ac porro vel per pacta singularia cum iis quorum interest, vel pacto generali inter præfatum Regem, & prædictos Fœderati Belgii Ordines per solutionem summæ pecuniariæ penitus extinguantur. At si prædicta Negotia vel in totum vel pro parte intra sex mensium spaciū hoc pacto componi nequeant, tumque controversiæ omnes quæ super æquitate rationibus ac taxatione actionum, huic inde moveri ac repullulare possint, penitus præcidantur ac tollantur, tres utrumque Commissarii constituerunt, qui post exactum octodecim mensium spaciū, ut in Brasilia commorantes ejus rei certiores fieri, & tempestivè præmonere possint, Vlissponæ in unum convocandi ac conventuri sunt,
instructi

instructi potestate ac authoritate, quæ peculiariter nunc iis hoc ipso diplomate defertur, admittendi & sub examen vocandi, intentatam quamcunque actionem super immobilibus bonis ac debitibus, tum in jus etiam citandi reos, adversamque actoribus partem, ut obloquantur aut causam suam tueantur, si possint; defertur præterea iisdem Commissariis auctoritas qua auditis contradictoribus, aut iis non compatentibus adversus contumaces decernant juxta jura & æquitatem, nulla judicii forensis adhibita solemnitate, atque omni ambage litis protrahendæ profus amotâ, jus de plano dicant, curabunt quoque præfatus Rex ac Ordines ut re ipsa præstentur, ut quæ effectum suum omni ex parte habeat, quidquid per utriusque partis Commissarios decernetur ac pronunciabitur. Tum ut judicio casurus, causam tenenti adversario confessim solidè atque ex asse satisfaciatur, decreta ac Sententias Commissariorum per ministros suos plenæ executioni ilico & sine mora mandabuntur; Si quid vero ad summam satisfactionis desiderabitur, Rex ipse atque Ordines spondebunt & fidem suam interponent, quemadmodum spondent fidemque interponunt, id omne suo ex ære, suisque impensis sarcendum ac supplendum fore, si liquebit executionem neglectam aut extra consuetum & receptum ordinem dilatam stetisse, quo minus decreta Commissariorum effectum sortita sint. Si vero pari utrumque concurrente judicum discrepantia ac disensu suffragiorum fiat, ut actioni intentatæ finis imponi a Commissariis non possit, tum ut iidem aut concordibus votis aut per majora super arbitrum eligant, his vero etiam eo casu inter se se ita dissentientibus, ut eadem super arbitri electio aut paribus votis, aut per majora suffragia absolvi nequeat, uti discrepantia inter illos sorte dirimatur: utque post electionem super arbitri, aut hoc aut illo modo factam, res per eundem unicum prædictis Commissariis resumatur, & vel per amicabilem compositionem vel decisione per majora vota terminetur.

X X V I.

Conventum porro ac utrumque consensum est, ut pax hæc & transactio, omniaque & singula hisce tabulis comprehensa, in optima Legitimaque formâ tam à p̄fato Lusitanæ Rege, quam à predictis Fœderatarum Provinciarum Ordinibus Generalibus, per patentes utriusque partis litteras, sigillo magno munitas confirmantur ac rata habeantur, mutuaque ratihabitionis instrumenta intra trium mensium spacium, ultro citroque extradantur, atque ut hæc tabulæ post elapsos alios tres menses, a traditis & commutatis ratihabitionum instrumentis, forma locoque solitis promulgantur: In quorum omnium fidem & testimonium, nos extra Ordinem Legatus predicti Regis Lusitanæ, & Commissarii dictorum Fœderati Belgii Ordinum, vi & vigore litterarum mandati ac potestatis nobis à superioribus nostris datarum, hosce articulos manibus propriis subsignavimus, ac Sigillis nostris munivimus; Hagæ Comitum in Hollandia, die sexta mensis Augusti, Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo.

L. S. M. Conde de Miranda.

L. S. Fl: Cane.

L. S. Johan de Witt.

L. S. Christ: Rodenburch.

L. S. E. S. van Glinstra.

L. S. B. I. Mulert.

L. S. I. Schulenborch.

Ra-

Coe

C

Ratificatio Regis Portugalliae.

Dom Afonso por graça de Deos Rey de Portugal & dos Algarves d'aquem , è d'allem , mar em Africa , Sñor de Guiné , è da Conquista , Navegação & Comercio da Etiopia , Arabia , Persia , & da India , &c. Faço saber aosque esta minha carta patente de aprovação , ratificação & confirmação virem , que em os seis dias do mes d'Agosto do anno passado de mil e seis centos & sessenta é hu na Villa da Haya do Conde em Hollanda por *Henrique de Souza de Tavares, Conde de Miranda,* do meu Conselho , Governador da Relação é Armas da Cidade do Porto é meu Embaxador Extraordinario aos Altos & Poderosos Estados Geraes das Provincias Unidas dos Paises Baxos , se assentou , Fez é concluio com os ditos Altos & Poderosos Estados hu Tratado de Paz & Confederacão , assinado pelo dito Conde meu Embaxador , & pelos Magnificos Illustres *Fl. Canti, Johan de Witt, Christ: Rodenburch, Van Glinstra, Muleri & I. Sculenborch,* Commisarios depurados para odito Tratado , do qual o traslado de verbo ad verbum he osequinte.

Articuli Pacis , &c.

Et portanto havendo eu visto , o dito Tratado de Paz & Confederacão , escrito em vinte e seis artigos é querendoo aceitar , o aceitey , aprovey & ratifiquey , como em efecto pela presente minha carta patente oaceito , aprovo é ratifico na forma , que e qá ajustado pelo dito meu Embaxador extraordinario é Commisarios para elle deputados . Et por verdade fé é firmeza de tudo mandey passar a presente carta por mim assinada é sellada com osello grande de minhas armas , Dada na Cidade de Lisboa a os vinte & quatro dias do mes de Mayo de mil e seiscientos & sesenta & dous . *P. Hivira* , dony ofiz escrevir . Signatum ,

EL R E Y.

Rati-

Ratificatio Reginæ Portugalliae.

Dom Afonso por graça de Deos Rey de Portugal & dos Algarves d'aquem , e d'alem , mar em Africa , Sñor de Guiné, è da Conquista, Navegação & Comercio da Etio-pia , Arabia , Persia , & da India , &c. Faço saber aosque esta minha carta patente de aprovação , ratificação & confirmação virem , que em os seis dias do mes d' Agosto do anno passado de mil e seis centos & sessenta é hu na Villa da Haya do Conde em Hollanda por *Henrique de Souza de Tavares, Conde de Miranda,* do meu Conselho, Governador da Relação é Armas da Cidade do Porto é meu Embaxador Extraordinario a os Altos é Poderosos Estados Geraes das Provincias Unidas dos Paises Baxos , se assen-tou, Fez é concluio com os ditos Altos é Poderosos Estados hu Tratado de Paz é Confederação , assinado pelo dito Conde meu Embaxador , é pelos Magnificos Illustres *Fl. Cant, Johan de Witt, Christ: Rodenburch, Van Glinstra, Mulert & I. Sculenborch,* Commis-sarios deputados para o dito Tratado , do qual o traslado de verbo ad verbum he oscquite.

Articuli Pacis , &c.

Et portanto havendo eu visto , o dito Tratado de Paz & Con-federação , escrito em vinte e seis artigos é querendoo aceitar , o aceitey, aprovey & ratifiquey , como em efecto pela presente min-ha carta patente oaceto , aprovo é ratifico na forma , que eßá ajustado pelo dito meu Embaxador extraordinario é Comissários para elle deputados. Et por verdade fé é firmeza de tudo mandey passar a presente carta por mim assinada é sellada com o sello grande de minhas armas , Dada na Cidade de Lisboa a os vinte e quatro dias do mes de Mayo de mil e seiscientos & sesenta & dous. *P. Hivira*, dony ofiz escrevir. Signatum ,

A R A Y N H A.

Rati-

Ratificatio Dominorum Ordinum Generalium.

Ordines Generales Fœderati Belgii, Universis & singulis has visuris, lecturisve, Salutem. Quando die sexto Augosti Anni 1661. Tractatus Pacis factus, initus & conclusus est, inter serenissimum ac præpotenterum Dominum Alphonsum, ejus nominis sextum, Lusitaniae, Algarvæ Regem, &c. ab una, & Confœderatum Belgium, ab altera parte, per Dominum Henricum de Sauza de Tavares, Comitem de Miranda, ejusdem Regis Consiliarium, Gubernatorem Civitatis de Porto & extra Ordinem Legatum, vigore Procuratorii Regii, & Commissarios Nostros vigore eorundem Procurationis, cuius tractatus tenor hic de verbo ad verbum insertus est.

Articuli Pacis, &c.


Proinde nos præfatum Tractatum Pacis acceptavimus, approbavimus, ratihabuimus & confirmavimus; Sicuti eundem acceptamus, approbamus, ratihabemus & confirmamus per has præsentes, spondentes nos omnia inviolabiliter observatueros, servatueros & impleturos, neque admissuros ut ullo modo, quomodo liber id accidat, aut accidere possit, per directum vel indirectum huic contrarium aut ad versum fiat, sub hypotheca atque obligatione prædicti Fœderati Belgii bonorum & proveniuntum, generalium & specialium, præsentium & futurorum. In quorum fidem veritatisque robur, majoris Sigilli nostri appenditione muniri, pariterque per Concessus nostri Præsidem signari, ut & per Graphiarium nostrum has subscribi jussimus. Actum in Concessu nostro. Hagæ-Comitis, die vigesimo quarto Novembris, Anni millesimi sexcentesimi sexagesimi secundi.
J. de Merode, ^{vr}. Ad mandatum Altememoratorum Dominorum Ordinum Generalium. N. Ruysh.


Ver-


Verkondiginge van het Tractaet van Vrede/


den sexten Augusti in den Jare 1661. gemaecht ende gesloten alhier
in den Hage / tusschen den Heere Coningh ende de Croone van Por-
tugael / etc. ter eenre / Ende de Hoogh Mogende Heeren Staten Ge-
nerael der Vereenighde Nederlanden / ter andere zyde ; daer op we-
derzijds Ratiscatien den veertienden December des verleden jaers
1662. zijn geextraeert ende uytgewisselt.


MEn laet eenen yegelicken weten / dat tot wel-
stant ende bevorderinge van t' gemeene beste in't generael / ende son-
derlinge vande Vereenighde Nederlanden ende den goeden Inge-
setenen van dien / in't particulier / den sexten Augusti inden Jare
1661. gemaecht ende besloten is / een goet / vast / getrouwende onverbreecke-
lich Tractaet van Vrede / ende ophoudinge van alle Acten van vbandtschap /
alomme soo aen dese / als d'andere zyde vande Linie / tusschen den hooghst-ghe-
melten Heere Coningh ter eenre / ende de hoogh-gemelte Heeren Staten Ge-
nerael ter andere zyde ter Zee / andere Wateren ende te Lande / in't regard
van alle Onderdanen ende Inwoonders der voorsz Vereenighde Nederlanden /
van wat qualitept ofte conditie die zyn / sonder uytneininge van Plaetsen of
Personen / ooch van ghelycken ten regarde van alle Onderdanen ende In-
woonders der Coninghrycken ende Landen van den meer-hooghst-gemelten
Heere Coningh / van wat qualitept ofte conditie die zyn / mede sonder uytne-
minge van Plaetsen of Personen / gelijck als breeder verklaert is by de Arti-
culen van het voorsz Tractaet van Vrede ende ophoudinge van alle Acten van
vbandtschap / ingaen ghenomen hebbende / ende van nu voortgaen te nemen /
respectieve in conformiteit van de selve Articulen. Terhalven last ende beveelt
men expresselick midts desen van wegen den Staet der voorsz Vereenighde
Nederlanden / allen Ingescetenen ende Onderdanen van de selve / t' voorschrebe
Tractaet van Vrede ende ophoudinge van alle Acten van vbandtschap / ende
allen den inhouden der voorsz Articulen / in conformiteit van dien / onverbree-
kelich te onderhouden / sonder daer jegens petwes te doen ofte te laten geschie-
den / op pene van gestraft te worden als Verbreechers van de ghemeene ruste
sonder genade / faveur / verdach ofte dissimulatие. Aldus gearresteert ende be-
slooten in den Hage den sebenden / ende dese publicatie effectivelick ghedaen den
veerthienden Martij / des Jaers 1662. Was gheparapheert / P. Resen, v.
Lager stondt / Ter Ordonnantie vande hoogh-gemelte Heeren Staten Gene-
rael. Geteekent / N. Ruysch. Zijnde op 't spatiuum gedrukt het Cachet van
haer Ho: Mo: in rooden Wasseche.

















010277

